

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Conrad Sarmichhausen Meinhard Molan

**Epasksis Tripartita, De Dictamine Rectae Rationis Et Subalterna Eius Veritate,  
Quin Et Legitimo In S.S. Theologia Famulatu**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72961056X>

Druck Freier  Zugang



R u phil 1643  
Heinr. Conrad Larmischauer  
Meinhart Molanus.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn72961056X/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72961056X/phys_0002)

DFG

76.

ΕΠΑΣΚΗΣΙΣ  
Tripartita,  
<sup>DE</sup>  
**DICTAMINE RE-**  
**CTÆ RATIONIS ET SUB-**  
ALTERNA EJUS VERITATE,  
QUIN ET LEGITIMO IN  
S.S. THEOLOGIA FAMULATU.

*Quam*  
Consensu Ampliss. Colleg. Philosoph.  
Auspice Deo Ter Opt. Ter. Max:

*PRAESIDE*  
**HENRICO CONRAD O SAX.**  
MICHAELSEN Depenovia-Hojensi  
Phil: Magistro & S. S. Theol. Stud:

*Ante hac ex discursu Metaph: privato ejusdem Praesidis observatam; ob utilitatem futuro Theol. Stud: haud exiguum, in Theses ad examen Publicum recte intelligentium dextræq; judicantium, congesit*

**MEINHARDUS MOLANUS**  
Quakenbruga-Gvestphalus  
*RESPONDENS.*

*Habebitur in Collegio Majori  
Nonis Aprilis.*

• 8 (o) 8 •

**ROSTOCHII,**  
*Typis NICOLAI KILI, Academia Typographi.*  
*ANNO Aera Christianæ M. DC. XLIII.*





## ADSIT IHOVA

### THESIS I.

**N** proposito esse, cunctis politioris eruditionis amatoribus, non dubitamus, accurris, in Scholis cum Philosophorum, tum etiam Theologorum, disputationum conflictibus praesentem de lege naturæ, διάσκεψιν, fusce agitatam, emunctissimæq; naris viros tantopere exercuisse, ut cumprimitis, ineunte hoc Epochæ Christianæ seculo, hæc controversia caput extollere; concordiaq; reip. Ecclesiasticæ, exasperatis & commissis inter se multorum animis, jugulum petere cœperit; Quin nec moderna tempestate aliquam multi ex æquore dubitationis, ad portum penitus emerserint.

II. Quare materiae hujus præstantia & utilitas, studijq; ratio, nobis necessitatem imponit, pensiculatius in hanc sententiam inquirendi, quod rectius nobis obtenturi videmur, si ante oculos illud. *medio tutissimum ibis*, posuerimus, ne justo amplius naturam extenuando, aut rationem omnem, adeoq; hominem ipsum exauimus; aut ultra sortem conditionis humanæ illam evehentes, miserabilem Phæthonis casum experiamur. Utrumq; enim semel concessum, ad ingentes absurditates fenestram aperit; & locum hic habet, admonitio D. Basilij lib. 2. Adv. Eunom: ἐότικε γαρ πως ὁ λόγος, ἐπειδὴν, ἀποξῆτης ἀληθέας παρενεχθῆται τολμᾶς καὶ ἐπικινδύνες ἀποτίεις. Τοῦτο τὸν κατὰ τὴν πλάνην ἀνελθόντας ἐν φέρεται. Quod quam verè dixerit, ipse eventus, & excitatae in ipso Ecclesiæ meditullio turbæ attestantur.

III. Ut igitur confiteamur, quæ veritas ipsa nobis imperat, densissimas, in natura nostra depravata, ignorantiae tenebras ultrò agnoscimus, & deprehendimus in nobis intimam, pessimam, pro-

fundissimam & ineffabilem totius naturæ, imprimis principiū animæ facultatum defectum, non tantum in rebus salutem (quam deplorandam corruptionem ad Theologorum scholas remittimus) sed naturalem scientiam attinentibus, ut summus rationis apex & ingenium humanum suapte industria, vix aliquem in omni notitia splendorem emittat, quem non inscitiae caligo obumbret.

IV. Fassi hoc sunt, quos ad supremum eruditionis humanae culmen multijugus labor evexerat, audiamus incomparabilem Scaligerum, Exe: 307. sect: 22. *Nomina mibi lapidis formam, qui quotidie oculis tuis obversatur.* Et Phyllida solus habeto. Nego tibi ullam esse formam notam plenè & planè; nostramq; scientiam esse umbram in sole ajo: Formarum enim cognitio est nuda, confusa, nec nisi per περιστολές. & f. 12. Substantia non sua specie cognoscuntur à nobis, sed per earum accidentia. Quis medoceat quid sit substantia, nisi illis miseris verbis; res per se subsistens. Corpus, quod tangi potest. Dicatur mihi, quid caninitas, asinitas, leonitas. Tam euidem nostrum nobis horum quodvis, quam quod ignotum. Definiamus lapidem istum, qui præpedibus est: nuga. Terram definimus à soliditate ac pondere. Ignis quid est? Substantia que ad cævum luna fertur. Hoc habes à sensu, quid illa ipsa substantia sit, planè ignoras. Conferatur exerc: 101. f: 14. Confessio hæc est ingenua tanti viri, qui nulli secundus erat.

V. Neq; potuit hoc esse non palam ipsis Ethnicis, passim infirmitates suas, rerum ignorantiae prætententes, id potissimum agnovere quoties in rerum profundiorum, & præcipue divinarum scrutiniiis occupati, aciem intentionis abrumpere coacti sunt. Socrates utiq; apud Pl. in Phædone felicitatem hominis in cognitione, DEI ponens, talem vel nunquam nobis obtingere, vel tum demum, ubi è vita excesserimus, existimat. Quin ipse Philosophorum princeps Arist. (qui exemplar quoddam propositum, in quo, quantum mens mortaliū capere possit, quantumq; humano ingenio progressio fas sit, intelligere & admirari queant, dicente Averroë,) oppidò suum in rebus divinis ingenium extenuat II. Metaph: c. 1. οὐτ περ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμηρα πέρος τὸ φέγγος ἔχει τὸ μετ' οὐμέσαν,

ημέραν, ἔτω καὶ τῆς ημετέρας ψυχῆς ὅ νῦν περι τῇ φύσει  
φανερώτατα πάντων. Manifestissima vocat, quæ divina sunt, ob na-  
turæ conditionem, quæ alio sensu obscurissima rectè quis dixerit.  
Idem i. Metaph. c. ii. Scientiam rerum divinarum divinam po-  
tius, quam humanam possessionem vocat. Plato in Epinomide:  
εὐδόκιον δυνατῶν, ait; εἰδέναι τὴν θυγατῆρα φύσει τῶν πάντων πέμπει. Et  
porro: μᾶλλον μὲν δέξεταις, μηδὲν ημᾶς ποτὲ πείθῃ τῆς ἐντεβείας  
εἴναι τῷ θυγατῷ γάντι, αὐτὸν δέ τοι διδάξεις τίς εἰ μὴ θεός οὐ Φη-  
νίτης.

VI. Hæc ita maxima ista naturæ lumina palam præ se ferre  
non erubuerunt; Quisane, si ita cœcutierunt, quid de nobis pro-  
mittere habemus, qui multis parasangis ab illis prævertimur. Lu-  
bet his annextere verba B. Augustini lib. de Cognitione veræ vite  
c. 3. quibus in divinis omnem penè vim denegat: Dialectica, in-  
quit, differendi potens, potenter quoq; dubia definiens, cunctas scri-  
pturas evibrans, atq; eviscerans, cunctam humanam sapientiam an-  
nihilans, cum in divinitatem intendit, tanta maiestati luce reper-  
eussa, pavidum caput tremefacta reflectit, atq; in abditum humanæ sa-  
pientie fugiens delitescit, dissolutusq; Syllogismorum nexibus stulta  
obmutescit. Quibus Sanctus & incomparabilis Pater naturæ in  
istis arduis scrutinij sincipacitatem, graviter & magnificè expressit.

VII. Neq; opus est multis hic testimonij ab ipsis Ethniciis na-  
turæ malignitatem addiscere, ipsa hoc ipsorum vita coarguit, pe-  
tulca, impia atq; ad omnia facinora pronâ, quam passim ipsis ex-  
probrat Sp. S. Præcipue Divus Apostolus Rom i. fusiis explicat  
quomodo veritatem detinuerint in injustitia. Apparet igitur Per-  
versitas & defectus naturæ sibi relicta, quæ nisi peculiari ope fir-  
metur, & sustentetur, facile degenerat & propemodum extingui-  
tur; hinc tantum idololatriæ, errorum & vitiorum quasi dilu-  
vium omnia apud eos inundarat, ut ipsas etiam notitias illas de  
DEO, & virtute naturæ insitas prorsus obrueret, veritatem illam  
DEI in mendacium converteret. Unde Plato eodem, quem supra  
citavimus loco: οὐ φημι εἴναι δυνατῶν ἀνθρώποις μαναῖοις τε καὶ  
εὐδαιμονοῖς γενέσθαι, ταλήν οὐλίχων. Nec idem ignoravit Sapientissi-  
mus è porticu Philosophus, Virum bonum, ajens, prima & præci-

pue nota (ut à Stoicis depingebatur) tanquam Phoenicim vix semel  
anno quingentesimo nasci Epist. 42.

VIII. Et si quid adeò est præclarè ab ipsis assertum aliquando, id tamen partim infirmissimis rationibus, partim cum summa hæsitatione ab ipsis fuit factum; vide amabo, lector disp: Socratis apud Platonem in Phædone, Ubi immortalitatem quidem animæ propugnat, ex iis tamen principiis è quibus nihil tale sequebatur vide Analyti: Materiæ Cornelij Martini c. 9. & 10.

IX. Notum insuper est, quam multa apud Paganos de felicitate & miseria animæ post discessum à corpore dilirarint, à qua origine manavit, quicquid de Elysio & Tartaro somniarunt Græci; At verò quomodo bene vel male futurum, & in quibus æterna vel præmia vel supplicia essent constituenda, assequi nequivant; Unde tot dubitationes, tot sæpè angores illorum, quibus ultimus vitæ halitus imminebat. Introducamus iterum Socratem in Phædone morti vicinum, apud amicos in hanc sententiam disputantem. Postquam enim de Pyri phlegetonte, & stygia palude sermonem texuerat, in hæc verba evadit, ita latine redditæ; Præmium est bonum, & spes magna, hæc verò certò ita esse comparata, ut ego differui, non decet virum cordatum adserere, hæc aut similia tamen circa animas nostras esse & earum habitationes, quando quidem immortale aliquod anima videtur etiam hoc medecere, & dignum, quasi periclitantem, hæc ita comparata existimare. Ita igitur hæret aqua, qui oraculo Delphico inter sapientes prærogativam merebatur. Videatur D. Calixtus in fine de extremo iudicio, ubi ait, eundem vix aliter quam Stoicos, vel si aliter per Pythagoram μετεμψύχωσι animas ex eo, quem illis promittit, contemplationis statu ad pristinum, & vitam in terris deuò agendam reducere; Neq; enim, huic mundo & rerum vicissitudini finem imminere, norat: Animam deniq; exhalaturus, his verbis affatur amicos: Tempus est jam hinc abire me ut moriar, vos autem ut vitam agatū: Utrum autem sit melius, Di immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem.

X. Animum adverte mortalis, & quisquis in tanto fastigio rationem collocas, quanam in inscitie abysso sit demersa, quam lubricus sit illius lapsus, ut perfecti in hoc vitæ circulo aliiquid sperare

care non ausit: quomodo id ipsum etiam, Socrates fuit confessus  
loco supra laudato è Phaedone. Si quid aliquando purè intellecturi  
simus, mentem à corporis vinculis & compage liberandam censeret, &  
sum demum fore ut compotes simus ejus, quod affectamus, cuiusq; nos  
amatores profitemur, scientie, minime vero dum vivimus id obtinere  
cuiquam. Tum enim animam secundum se ipsam à corpore seorsim futu-  
ram: Quibus verè quidem dicitur in hac misericarum valle, cognitio-  
nem perfectam nunquam fore, sed potius sub nube veritatem vide-  
ri quadantenus, corpus autem dum à commercio æternæ felicitatis  
sequestrat, eo ipso naturæ imbecillitatem, digitis quasi ostendit.

XI. Rectè itaq; ut thesiz, statueramus, tertia quadam caligine  
obducta est humani ingenij acies, quod in tenebris palpando, aut  
balbutiendo in errorum præcipitia delabitur, & inextricabilibus  
errorum labyrinthis hominem cespitare cogit, ut in plerisq; omni-  
bus præsertim sublimioribus, aut à tramite veritatis deviet, aut  
~~ἀγνοεῖν~~ arripiat. Exemplo esse possunt, absurdissimi in  
Theologia Mythica & Civili cultus idololatrici, quos ersi rectius  
contra naturam frequentabant, tamen certissimum sunt rationis  
intimè corruptæ & excocatae ~~κατέχεσσον~~ videatur B. Augustinus  
C. D. lib. 6. c. 5. Rectè itaq; Chrysostomus Homil: i. in Joha-  
nuem; Magnus est sermonum illorum euripus; Ut enim qui in euripo  
sunt, huc illuc jacantur, ita illi quoq; nunquam sibi constant è lubri-  
cū & incertis ratione cuncta pronunciantes.

12. Vidimus hactenus, quò ignorantiae processerit post lapsum  
natura, in suo statu deprivato relicta; Unde in mentem cuiquam  
venire possit dubitare: Ecquid omnis ergo rectitudo rationis ita sup-  
pressa sit, ut nullum dictamen rectum aut bonum in residuo manserit.  
Notitiam autem rerum intelligimus, quæ per lumen naturæ à no-  
bis patari potest, sive contemplationi subjaceant tantum, sive  
praxi, & certè non defuerunt, qui peritus dexteritatem rationi ab-  
judicarint, aut verbis id egisse videantur. Unde invenias, qui sa-  
pientiam aut Philosophiam (ita ut frustra inter concretum & ab-  
stractum distinguas) reprehensibilem esse ajant, rejicientes distin-  
ctionem illam; Sapientiam per se esse veram & bonam, abusum au-  
tem dannabilem.

XIII. Utut

XIII. Utut autem miserrimus sit naturæ status post transgres-  
sionem Adami, reliquæ tamen manserunt scintillæ, & judicium  
aliquid rectum, certis, indubitatis, immotis principiis innixum,  
à Deo mentibus humanis impressum, in rebus naturalibus, & po-  
liticis, idq; excoli à nobis posse & meritò debere. Consistit idipsum  
in notitiæ tam practicæ quam theoreticæ vel principijs naturali-  
ter notis, vel conclusionibus ex iis legitimè deductis: Sic natura  
etiam non regeneratos docet. Quodcumq; dicitur de omni subiecto,  
id etiam dicitur de Omni, quod sub illo subiecto subsumitur: Omne  
totum est maius sua parte &c. Idem simul esse & non esse non potest.  
DEUS est colendus: Parentes honorandi: honestè vivendum: Quod tibi  
non vis fieri alteri ne feceris Ex his naturâ cognitis & à DEO ejus  
authore profectis, extruuntur Theoremata in scientiis, & omnia  
præcepta in disciplinis practicis, hinc omnes disciplinæ, saltem lu-  
mine naturæ acquisitæ nihil aliud sunt, quam habitus in animo,  
ex ejusmodi conclusionum, congerie nati; quemadmodum igitur  
natura à DEO est, ejus potentia quoq; DEUM anthorem agno-  
scunt: quæ potentia cum frustra data non sit, actus exercet, aut  
exercere potest bonos, tales sunt Principia, qua ex se se ælogoz aut  
falsum producere, nisi errore quodam hominis non possunt.

XIV. Tota hæc rationis efficacia Philosophia nomine venit,  
eaq; dexteritatem suam tuerit: Ubi observanda censemus verba  
Clementis Alexand: lib: I. Strom: Nec Stoicam, nec Platonicam, aut  
Epicuream, aut Aristotelicam, sed quæ cung; ab hi recte dicta  
sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dici-  
mus Philosophiam: & quantumvis rationi ipsi non raro dormitatio  
quædam obrepat, tamen id rectitudini rationis nihil derogat, ve-  
lut non Theologiaz, sed Theologo imputamus hæresin, aut pravæ  
usurpata Scripturæ S. testimonia: Audiatur B. Augustinus lib. I.  
de ordine c. II. Hoc Gracum Verbum quod Philosophia nominatur,  
amor sapientiae dicitur, unde etiam divinæ Scripturæ, quas vehementer  
amplectentis, non omnino Philosophos, sed Philosophos bujus mundi,  
evitandos atq; irridendos esse precipiunt; nam quisquis omnem Philosophiam  
fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare sa-  
cientiam.

XV.Et

XV. Et quia aliorum quam nostra verba citare malumus, diligenter consideratu afferimus verba iterum Augustini, qui cum libris precedentibus duobus, theatricam & civilem Theologiam expolisset, lib. 8. c. 9. deniq; prorumpit in Theologiae Physicæ seu naturalis. elogium, ejusq; in nobis relictas particulas: *Quicunq; Philosophi de DEO summo & vero, ita senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum & bonum agendarum, quod ab illo nobis sit & principium naturæ & veritas doctrine, & felicitas rætae: Sive Platonici se accommodatius nuncupentur, sive aliud quodlibet sectæ nomen imponant, eos omnes ceteris anteponimus, eosq; nobis propinquiores faciemur, in quo nobis consentiunt de uno DEO, bujus universitatū auctore, qui non solus super omnia Corporeus, verum etiam super omnes animas in corruptibili, principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum, in hoc eos ceterū anteponimus.*

XVI. Fatetur itaq; magnus ille Ecclesiæ Doctor, etiam naturalies in animo de DEO ipso notitias resulgere, multo itaq; magis in Entium finitorum scientiam penetrabit, utpote ex qua ad illam assurgit. Exposuit DEUS animabus nostris alias rasæ tabulæ comparatis, multiplicis generis objecta, à quibus accipiunt speciem, ut est, non largiuntur, in quo ratio veritatis naturalis consistit: nisi itaq; omnem etiam sensu certitudinem cum Scepticis & Ereticis illis ignorantiae patronis ejurare velimus, speciem rerum, ut est, sensui, adeoq; menti imprimi censendum est, in quibus omnibus ratio mensurati cernitur. Non enim, quia quocunq; modo apprehendimus, res vera est, sed quia ut in se est, neq; ab hominibus est ita institutum, sed animadversum, dicente August: l. 2. de doct. Christ: c. 32.

XVII. Sensus hinc individuum percipit, cum ejus accidentibus, ad essentiam non penetrat, sed corticem lambit: quo tamen subsidio intellectus, ceu divinior instrutus, in rerum quidditates inquirit magis, missisq; differentiis individuantibus universam. ideam & speciem intelligibilem efformat, sensus autem, cum primò propter naturam, materiale deferant ad intellectum, hic in iis accidentia illa contemplatur, quæ sine additione materiae cognosci non poterant, unde primò nata Physica; post abstrahendo animadvertisit accidentia, quæ sine additione materiae cognosci possunt.

rant, eaq; pepererunt nobis Mathematicam; sed neq; in his acquiescit lumen intellectus naturale, sed in materialiis, ad formas quoq; quæ sensum effugiunt, materiae immersas, per operationes penetrat: deprehensum ergo est ex effectibus, esse animas vegetantes, sentientes, quin & rationales, quæ propter operationum Spiritualium majestatem & conditionem, materiam exsuperantem, à concretione illius liberæ rectè judicantur.

XVIII. Non tamen summo animam nostram loco collcare fas esse apparet, ob dependentiam; Unde inquieta & sollicita anima non desit Ens aliud adhuc superius, independentisq; naturæ percontari; Quamquam dicens Cornel: Mart: in proem: Metaph: Oculū, quæ nostra est, sine illuminatione gratia miseria, caligantibus, tamen in causis efficientibus & emanatione unius Entis ab alio, haec plane evincit ratio, non posse procedi in infinitum, sed tandem devenirī ad unam primam causam efficientem, quæ ipsa à nulla alia dependeat, non solum ratione motu, sed etiam ratiōne esse.

XIX. Hinc porro de summo Numine balbutiendo ratio discurrit, & in illius naturam impensis inquirit, omnia scilicet esse in hoc summo Ente eminentissime, quod perfectiones, quæ sunt in effectu, multo nobiori ratione & modo in causa principali esse necessarium ait idem inclytumJuliae lumen Cornel: Mart: lib. cit. In quo processu, ratione recta consulti, viam negationis, causalitatis & eminentiæ observare sueverunt.

XX. Certè in hanc sententiam in promptu sunt gravissima Ethnicorū effata à viā causalitatis; unde Arist: vel invitus ad veritatem abreptus videtur, ut mundi creationem novisse multis fidem fecerit, eti sub nomine dependentiæ. Ipse vero quid de Deo senserit naturaliter, patet Metaph: 12. §. 39. Si igitur, inquit, ita bene se habet, ut vos aliquando, admirabile est: quod si magis adhuc, admirabilius; at ita sese habet; Ceterum vita quæq; profecto in existit, si quidem intellectus operatio vita est, illa vero est actus; actus vero perse, illius vita optimæ & perpetua est: Dicimus itaq; DEI sempiternum optimumq; vivens esse. Quare vita & arum continuum & aeternum DEO inest; Hoc enim DEUS est. Silentio jam involvimus, quæ de DEI unitate, spirituali natura, justitia, bonitate, simplicitate, ex natura sciuntur & ab Ethnicis sunt cognita. Neq; dissimulant ipsi cultiores

cultiōes Ethnici, hunc esse scopum & finem Philosophiæ, DEUM cognoscere & amare. Audiamus aurea Senecæ verba præfata quæst: naturales: Evidēt cum rerum nature gratiæ ago, cum illam non ab hac parte video, qua publica est, sed in secretiora ejus intravi, cum disco qua universi materia sit, quis author & custos, quid sit DEUS, totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit, nisi ad hac admitteter, non fuisset opera premium nasci. Itidem Plutarchus citatur à D. Calixto in calce de extremo judicio; Contemplatio naturæ mente percipienda & eterne finis est Philosophia, οἷον ἐπιθέσια τελετῆς. Ammonius pro tem: in Cat. Arist: disertè ait, finem Philosophiæ Aristotelicæ esse cogno scere primum omnium principium, primam illam effectricem Universi causam, seq: uniformiter habentem. Eodem nomine commendatus Plato ab August: de Civit: DEI lib. 8. c. 9. Nunc satis sit commemorare Platonem determinasse, finem boni esse secundum virtutem vivere, & ei soli evenire posse, qui notitiam DEI habet & imitationem, nec esse ob aliam causam beatū, ideoq; non dubitat hoc esse Philosphari, amare DEUM. Cordate satis & magnificè Epictetus de cultu divino pronunciavit apud Arianum. Quid possum aliud senex elaudas nisi celebrare DEUM? quod si luscinia essem, lusciniae officio fungerer, si olorolorum; Nunc rationi particeps cum sim, DEUS celebrandus mihi est, hoc meum munus est, hoc exequar, nec stationem hanc deseram, quo ad licuerit, & vos ad eandem cantilenam exhortor. Vid. Clariss. Horn. Disput: 2. Theolog. sect. 1. thes 71. Verum si ea, quæ nobiliores Ethnici sobrie de summis sapè & ad DEUM pertinentibus rebus, ex dictamine naturæ deduxerunt, huc cumulemus, in stuporem & ruborem jure meritissimo nos Christianos convertunt, præsertim cum in externis etiam moribus & virtutibus multos è cœtu Christianorum longo post se intervallo relinquant, quibus eti nihil promereri potuerint, & in eo respectu, DEO non placuerint, tamen legi divinae naturali congruae, adeoq; honestæ & bona fuerunt actiones, nobis quoq; imitandæ.

XXI. Dicat quis, unde ergo idololatricus ille cultus, qui divino potius honori derogat, & in fædis ac turpissimis occupatus sit, quæ etiam partim piorum aures offendunt: sed hæc naturali DEI notitia potius repugnant, & ex neglectu rationalis cultus, quam

vero illius usu proficisciuntur, ob quam supinam & affectatam ma-  
litiam severissime objurgantur à Spiritu S. Act. 17. Rom. 1. & alibi.  
Unde versus etiam à Paulo ex Menandro, Arato &c. citatos, ad gentes  
convincendas legimus.

XXII. Non desunt etiam ipsorum cultiorum Ethnicorum fal-  
sæ illius idolomaniaæ criminaciones; ad unum causarum principi-  
um seu Ens Enium, qui Monarcha sit universi dicit nos Ari-  
stot. l. 12. Metaph: in fine, & hunc librum claudit deniq; isto Homeris:  
*Ἐν ἀρχῇ τὸν κόσμον τελείωσις καὶ εἶδος*. Et notum est, quod &  
ex Theodoreto citat Hornejus loc. citat. Platonem ad Dionysium  
scribentem, hanc notam Epistolarum seriò à se Scripturam facere,  
si eas à D E O, cæterarum autem, si eas à Diis auspicetur. Videatur  
porro Plato lib: ii. de Repub: ubi quid de Diis gentilibus senserit,  
liquebit. Ostendit inibi sol ille Philosophorum, fabulas Hesiodi,  
Homeri &c. à bona Republ: esse arcendas. Profecto duri h̄i sunt  
sermones, ait, neq; dicendi, O Adimante, in civitate nostra, neq;  
dicendum juveni audienti, non per Jovem; nam neq; mibi hac digna  
vidensur, quædicantur, neq; omnia, quod cum Diis Dii bellum gerant,  
infidientur & pugnant. Neq; enim vera sunt; vincula injecta Junonis  
& filio, & Vulcanum Cælo a Patre dejectum, cum ille matri verberat &  
subvenire vellet, aut Deorum pugnas, quodcunq; Homerus scripsit, mi-  
nimè in civitate recipere debemus, sive per allegoriam hæc dicta sint, sive  
sine allegoria. Videantur plura lib: ii. usq; ad finem. Socrates cum  
contemneret Deos gentiles, cicutam bibere coactus fuit. Ipsa de-  
niq; Deorum oracula & responsa, ipsorumq; fabulæ tandem ludus  
& jocu factæ sunt. Legatur Cic. l. ii. de divinat. Qui idem Tusc. i.  
Homerus, ait, *humana ad Deos transfluit, divina mallem ad nos*. Theo-  
dorus Siculus itidem l. i. de Ægypt: memorat: Templæ sunt Ægy-  
ptiis pulcherrima, quod si autem D E U M intus quæras, aut simia-  
est, aut ovis, authircus, aut felis. Accedit Juvenal. Satyr. 15. O  
Sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis, Numina &c. Sar-  
casmus certò iis dignus.

XXIII. Sed quid ita in re manifesta provchimur, satis constat  
ex dictis, DEUM tamen noluisse prorsus nos omni ratione esse nu-  
datos, gratainq; de se famam ubiq; sparsisse, & quanquam quæ  
ad finem hominis ultimum obtainendum, peculiari nobis gratia  
& misericordia primitus indulta erant, extincta sint, naturales ta-  
men

mendotes usq; quaq; auferre noluit; licet secundum rigorem justitiae, naturam totam destruere potuisse.

XXIV. Hæc omnia igitur nunc Philosophiam vocamus & Philosophos ista rerum scientia imbutos, quæ ex naturalibus ipsis omnibus hominibus notis principiis eruitur, de qua dñæ satis arduæ & periculose quæstiones existunt. I. De veritate Philosophie, an contradicat Theologie, unde dissidium de una & duplicitate veritate existatum, II. Quomodo legitimus rationi usus Theologiae deserviat. De quibus ethi integri tractatus exstant, succinctè in præsentia mentem nostram declarabimus.

XXV. Prior quæstio ethi ex superioribus decidatur, concludunt enim solidè nullam esse rectæ rationis ut in se sibi relicta est, falsitatem; aut enim principia hæc: Totum est majus sua parte: DEUS est coledus &c: sunt falsa; quod absurdum; aut conclusiones, seu quod necessario ex ijs deducitur, quæ itidem est contradic̄tio, sequi nempe ex vero principio, & falsitatem tamen fovere.

XXVI. Nihilo tamen minus acris quondam fuit mota ex his dissensio, ita ut pars Philosophiam simpliciter per se, non per accidentem repugnare supernaturali lumini astruxerit. Reperias etiam quimox dicat, Philosophiam in abstracto perpetuo veram esse, & donum DEI, & tamen mox frustra inter concreta. & abstractū distingui ajat, ut siquid ipsam quidem esse sapientiam per se veram & bonam, abusum v. damnablem dicere velit. Unde sic quidam dicit: Certum nobis est, quando ratio humana in sua qua turget sapientia, acumine arte & scientia se extollit adversus DEUM, & ipsius Evangelium, non esse abusum accidentiarum, à quo illa longe distet & plane sit innocens, maneatq; in se ipsa recta, vera & justa; sed ipsam rationem toto impetu ferris adversum DEUM, & non posse non ita ferri, nisi per Spiritum S. illuminetur: Quasi quædam sapientia seu donum DEI per se sit falsum. Distinguunt etiam inter Philosophiam Gentilem & Christianam, perinde ac si alia esset revelata Philosophia & non potius eadem; Quæ enim ex rationis fundamentis educitur, eadem est, in quocunq; homine existat. Urgent exempla, Theologia dicit: Virgo parit, ignis non urit; Physicus, virgo non parit, ignis urit: apertam existimant contradictionem, adeoq; Philosophiam Theologie contradicere, & ita esse verum in Theologia, quod fallum sit in Philosophia, Sed nulla est hic

**contradiccio**, ut etiam in Logicarum Gymnasmatis incoleat i sol  
let. Videatur Analyt. Corneliana de Mat. c. 9. & doctissimus Stah  
lius reg. 1. tit. 1. Dicunt etiam Philosophiam, si intra cancellos na  
ture se contineat, neq; extra limites vagetur ad oppugnanda my  
steria, esse in se bonam, si secus, eam ipsam fanaticam, perversam  
& noxiā, sed annon Diabolus Matth. 4. & omnia istius organa  
Theologiam ad fidem veram demolendam adhibent? Qnis autem  
propter ea Theologiam ipsam, & non potius abusum, seu indecen  
tem applicationem ad imposturas, execraretur. Instant: Conceptus  
tamen naturales quibusdā objectis non respondere, nec conformi  
tatem quandam adesse; Verum quidem id est, quamdiu in subsellii  
nature substiteris: si vero à Philosopho scisciteris, ecquid super na  
turali potentia id fieri queat, aut affirmabis, aut in dubio relinquet,  
pro terminorum ad se proportione. Eodem recidit, quod qui  
dam distingvunt  $\sigma\tau\alpha\tau\alpha$  &  $\nu\pi\mu\zeta\pi$ , atq; hanc, ut jam in homine  
existere potest & solet, denotant: sed hæc scopum non videntur  
attингere; Si enim per  $\nu\pi\mu\zeta\pi$  intelligunt, non principia & conclu  
siones naturales, sed illud iis abutendi cacoēthes; sciant non hoc,  
sed illud esse Philosophiam. Sin ut existit, vix percipio, quo ten  
dant; si enim existit in homine, Philosophia  $\sigma\tau\alpha\tau\alpha$ , seu natura ejus  
inest, & sic, ipsis judicibus, bona in existit Philosophia, & sic vera  
est secundum  $\nu\pi\mu\zeta\pi$ : Si autem essentia absit, existentia tollitur  
simil, inter quæ præter intentionalem distinctionem nihil interce  
dit. Solent etiam urgere dicta Scripturæ Gen. 6. 5. 1. Cor. 1. & c. 2.  
&c: Verum scopum non ferunt, loquuntur enim vel de abuso,  
vel peccato originis & libero arbitrio, quod nullum esse in spiritua  
libus, quæq; æternam salutem concernunt, libenter concedimus.  
Præcipue responsonem ad dicta Gen. 6. & 8. capite, Grawero ob  
jecta simul cum aliis, ab Hoffmanno vide lib: de simpl. & una ve  
ritate ipsius Graweri.

XXVII. Tandem Megalandri illius Lutheri authoritas oppo  
nitur è thesisbus anno 1539. II. Jan. habitis; *Etsi verum vero conso  
nat, tamen id non esse verum in diversis Professionibus addit, in Theo  
logia verum esse, Verbum Carosactum, impossibile autem ē absurdum  
simpliciter in Philosophia. Damnat igitur Sorbonam, ut matrem er  
rorum,*

orum, qui idem esse verum in Theologia & Philosophia definiverat.  
Quod iū captivare docuerit articulos fidei sub iudicium rationis hu-  
mane, idem q; id esse pronunciat, atq; Cœlum & terram suo centro in-  
cludere. Sed quæ mens fuerit B. Lutheri videatur in Epist: Cornel.  
Mart: ad Illustriss: Principem ac Dom: Dom: Henricum Julium, Du-  
cem Bruns: & Lunæburg anno 1. hujus seculi scripta. Adde & Gra-  
verum ante laudatum; & ne cui de mente Lutheri scrupulus insi-  
deat, legat modò quæ habet de lege naturæ super verba Joh:1. *Ver-  
bum caro factum est* ut & Rom. 2. Ubi totum Decalogum in princi-  
pio naturaliter noto consistere annuit. Tantum abest, ut pugna-  
re dicatur.

XXVIII. Hæc igitur sententia (nisi forte in modo loquendi est  
dissensio) admittenda non est. Veritatem potius unam & simplicem agnoscimus, cuius omnis Deus author est. Verum a. dicitur quando res measurat intellectum, ut est, & quando ea coiunguntur, quæ cohærent, seu prædicatum subiecto inest, sin contra, falsitas oritur. Prius si ita habeat, impossibile est falsi quid inferri. Unde rectè Meish: Phil: sobria Mataph: quæst: assert: i. Quod semel ve-  
rum est, id nullo loco & tempore in disciplina ulla potest esse falsum,  
sed ubiq; & semper & apud omnes verum est, manetq; constantissime.  
Si enim quod his est verum, alibi foret falsum, intellectus DEI esset  
mutabilis, & sic Deus sibi ipsi contrarius foret. Et rectè hucusq; Meisnerus, qui insuper addit: Si in Philosophia aliquid verum est,  
re ipsa nunquam illud falsitatis argui potest à Theologia, nisi DEI  
immutabilitatem negare velimus.

XXIX. Probatur nostra sententia multis alijs rationibus, qua-  
rum breviter meminisse cogimus, quia hic theses ponimus, non  
tractatū aliquem procudimus. Dicimus igitur Deus esse autorem  
tam Theologiam, quam Philosophiam, id est, Principiorū omnibus ho-  
minibus innatorum, & consecutionum inde erutarum (ni quis hic  
monströsam aliquam Philosophiam faciem introducat) Deus autem  
ut verus autor, sibi contradicere, aut, quod idem est, mentiri non  
potest, mendaciorum etiam autor esse nequit, aut sibi repugnare;  
piè enim magis docemus, omne quod in nobis à Deo est, esse sibi  
conveniens, & verum atq; bonum: neq; malitia causa falsitatis per  
se esse potest, cum Diaboli vera sæpe locuti sint, Matth. 8. Rectissimè  
igitur

igitur iterum Meisnerus loco cit: Fateantur illi oportet, qui veritatem duplicant, aut D E U M sibi p̄ se et contrarium, aut Philosophiam D E U M non habere auctorem: Utrumq; falsissimum, illud blasphemum, hoc impium. Pergit Doctissimus Meisnerus (hucusq; enim valde videtur sobrie disputare) si recta ratio non contrariatur verbo D E I, utiq; nec Philosophia, nec Theologia erunt contraria. Atqui recta ratio, quatenus recta verbo D E I non contrariatur. E. Probat satis utramq; p̄missam ratione & autoritate conciliij Lateranensis tertij. less; 8. Thom; l. 3. cont: gent: Augustini l. 2. de genes: ad lit: Multis eadem & alijs explicuere. Albertus Grauerus in peculiari libello. Cornel. Mart: in Epist: suprā citata & in refutatione Mulleriana. Edidit etiam Jacobus Martini theses, Duplicisq; expressè oppositas Anno 1618. suffragatur his omnibus ipsa Scripturæ authoritas, quæ rationem commendat. Vide loca Rom: 12. l. Pet. 2. v. 2. Rom: 12. 15: ubi nō tantum actus primus seu ipsa natura, sed operatio etiam per θεομον indigitata commendatur; non in Christianis sed gentilibus, dicitur enim Αογισμὸς γατηγοῶν καὶ ἐπλογῆ μεσy. ad naturam provocat idem Corintii 11. 14. Pertinent huc, quæ A. Augustinus l. 2. de lib: arbit: c. 18. habet. Virtutibus enim practicis oppido laudatis ita pergit: In his omnibus, sicut in ipsa etiam quam tu commemorasti; Justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Recta autem ratione male uti nemo potest; Plura ex optimis & præcipuis partibus citata vide apud Clariss: Horneum lib: de process: disputandi c. 2. Ethic: cap. de Certit: doctr: civil.

XXX. Si itaq; recta ratio non decipit, sed vera docet, neq; pugnat cum Theologia. Ultimò jam queritur: Quid cum Photinianis agendum, qui hoc principio: *Quicquid rationi contradicit falsum est*, tanquam præcipua quadam Machina, omnia prope fidei Christianæ mysteria arietata; nihil enim propè audias, quam contradictionem implicat; recterationi contrariantur; id autem verum esse nullo modo posse. Unde multa subtiliter & astutè disputant contra possibilitatem Mysterij S. S. Trinitatis, à ratione Existentiæ, Essentiæ, suppositalitatis, processionis, generationis, relationis ad intra, cum rationalis, tum realis, quales in notionibus

cha-

characteristicis: quum tamen Personæ identificantur in una essentia. Taceo, quæ de resurrectione ejusdem numero corporis revertenda ex rationis principiis iudicia quadam sequela deducere videri volunt. His autem nos unam veritatem asserendo, arma ministrare videmur.

XXXI. At vero Διὰ δια πάσον distant, assertere rationem rectam nunquam errare, neq; eam contradicere Theologiae; & quæ incomprehensibilia natura sunt, pro absurdis esse venditanda: novimus ex superioribus, nihil in fidei articulis contradicere recta rationi, et si rationem in omnibus reddere ratio non possit, quæ videantur implicare contradictionem, nam ut præclare ait Hornejus dissentit: Theol. 4. sect. i. Si disertū DEI ipsius verbis fides adhibenda non sit, nisi ante quid ejus quod dicit, fieri, aut non fieri possit, ipsi nostro captu astimaverimus, nihil divinum, nihil nobis ἀνίχνια καὶ αὐτεξέγενη τὸν ερεδemus, & tota fides pereat.

XXXII. Captivanda itaq; ratio sub obsequium fidei & ratiocinationes (pravae) ac sublimitas, quæ se extollit adversus cognitionem DEI. 2. Corinth. 10. 4. Tum enim Philosophia in pessimum usum ab homine etiam invita rapitur, & ab iniquo possestore pervertitur ac contaminatur illibata hæc matrona, dum judicium & censura, in ipsam fidem à ratione arcessitur, quæq; alias ancillari nata erat Theologiae ut reginae, eam dominari cupimus, quo de Apostolus conqueritur. 1. Cor. i. & 2. fit hoc cum quæ naturam transcendunt, aut ab ea ignorantur fide tenere ac venerari erubescimus, quæ non Philosophia sed propria malitia docet. Hinc Basil: ut ab Hornejo citatur loco proximè citato ὁ εἰς διαβόλους ἀρέλεγχον ἐδαμῶς σώζει, ex quo πανολεπτὴ fidei metuenda. Unde de nimia Scholasticae doctrinæ superstitione in S. S. Theol. ipsi Pontificij queruntur; vide Melch. Canum lib. 8. loc. Theol. c. i Sot. Prefat: in libros de natura & Grat. D. Hornerum diss. Theol. i. Tanta enim est sublimitas mysteriorum, ut fugiant captum rationis, imò porpter aciem mentis caligantem impossibilia videantur. Eatur id incomparabilis ingenij Suarius disput: Metaph. 30 sect. 17. idq; summo cum moderamine: Si humanum ingenium solo lumine nature discurreret, vel nunquam incideret in similes questiones, de

C

possi-

possibilitate horum m<sup>y</sup>steriorum, quia etiam in notitiam apprehe-  
sivam eorum non deveniret, vel certò si audiendo aliquid, vel, alio casu  
in eas incideret, existimaret inesse repugnantiam & contradictionem,  
vel ad summum, si aliquis nimium prudens & cordatus, intelligeret se  
non posse de illis rebus judicium facere, quia in natura non sunt ultra  
principia, que directè ostendunt, in h<sup>i</sup>is rebus non esse repugnantiam,  
nec etiam sunt aliqua, que sufficienter repugnantiam ostendunt. Non  
igitur statim cum NeoPhotinianis rectè ratio judicat, adeoq<sup>;</sup> recta  
non est, cum in aliis statim sensum detorqueant, quæ captum na-  
turæ excedunt. Aliter pater ille credentium Rom: 4. 18. Qui pre-  
ter spem sub spe credit & v. 20. Verum ad promissionem DE I nos  
h<sup>a</sup>bitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens glo-  
riam D E O, certa persuasione concepta, quod is qui promiserat, id  
etiam potens esset & praestare. Contra rationem igitur potius, quam  
cum ratione agunt, cum decempeda istius scrutinii metiuntur, quæ  
sunt æqueræ: Unde acutissimus Bernhardus Eqist. 190. Quid magis  
contra rationem quam ratione conari rationem transcendere? & quid  
magis contra fidem, quam credere nolle, quicquid non possit ratione  
attingeret?

XXXIII. Quis ergo deniq<sup>;</sup> usus quæq<sup>;</sup> necessitas eruditio-  
nis secularis, disciplinarumq<sup>;</sup> in Scripturâ Sacra? Magnus certè,  
si intra sphæram maneat; Si enim exautorandæ omniō essent, quia  
ex ratione fluunt, cur in disputationibus mysticis non profrus à  
loquendo nobis temperamus? Cur vocabula Personæ, Essentiæ, sub-  
stantiæ, accidentis, ὁμοσοιας, in Theologiam introduximus? Du-  
plex autem Theologiæ Academicæ imprimis ministra est, Philolo-  
gica & Philosophica: Illa in linguarum cognitione & usu legitimo  
co<sup>n</sup>sistit, non autem in illa scrupulosa, anxia & superstitionis,  
qua quidam nodum in scirpo querunt, de quibus alibi. Philoso-  
phia necessaria est ad multarum quæstionum & explicationum, in  
istis disputationibus fidei explicationem, & conclusionem, ex prin-  
cipiis Theologiæ legitimam sequelam texendam: Imò plerumq<sup>;</sup> in  
iis altera permisarum ex ratione, altera ex revelatione pendet, uti in  
disput: contra Monotheletas, Apollinaristas &c. de humana Christi  
Natura usu venit: quot, quæso, sunt in sacris, quæ si ut jacent expo-

nas

mas, absurdissima forent, in quibus ratio subsidiaria operas surrogat, uti de serpente Gen. 3. & DE O, ubi illi membra corporea assignantur, & alias obvium est, de quo explicandi modo Augustinus Epist. 7. ad Marcellum: Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, vera esse non potest. Rursus si manifestissime certaque ratione velut Scripturarum sanctorum objiciatur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati, neq; quod in iis, sed quod in se ipso veluti pro eis invenit, opponit. Plura de recto usu Philosophiae & linguarum habet cum alibi tum lib. 2. Doctr: Christ: præcipue cap. 40. Philosophi, dicit, qui vocantur, si qua forte vera & fidei natura accommoda dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed & ab iis, ut injustis possessoribus in usum nostrum convertenda. Deinde egregiam similitudinem subjecit de spoliis Ægypti, ab Israëlitis ad meliores usus accommodari. Sed quis foret, si optimè à majoribus dicta & statuta hinc coaaervare lubeat? Ex his planum efficitur, quam immensus sit Theologiae sublimioris Oceanus, & quomodo externis etiam disciplinis imprimis propter adversarios sic desudandum operæ pretium facturo, nisi εἰπεῖται οὐχὶ ἀμυνόμενος ψυχαῖς, ut Nazianz. ait, ad fontis Israëlis accedere velit; imprimis hoc opinionum & somniorum seculo feracissimo, quo quod cuique rectum, aut quod somniavit, pro articulo fidei venditat: olim primigenie Ecclesie temporibus sic non erat, in simplicitate potius fidei & mansueto Spiritu ὥραδη μαθὼν Ecclesia adificabatur.

XXXIV. Interim quicquid ab exoticis disciplinis opis petitur, necessitate facere compellimus, ad imposturas & casses haereticorum astutissimorum declinandos. Qui idem mos multis retro seculis in Ecclesia viguit, ut rationem ostentantes etiam ratione convellerent, præprimis ut à contradictionibus intentatis fidem vindicarent: hoc enim est ἐπιστολὴ τῶν ἑλέγχων τὸς ἀντιλέγοντας. Tit. 1. 9. Et paratum esse πέποντας ἀπλογίαν παντὶ τῷ ἀντιτίθεμαν λόγον τοῦτον εὐηρύποντας. 1. Pet. 3. 15.

XXXV. Exculti itaque his doctrinæ generibus ad summam sanctissimamq;

Qissimamq; sapientiam, animi accedunto, suasq; habeto regina pe-  
disse quas dicit D. Calixtus Introd. ad stud. Theolog. ubi demum  
hac Amphilochij sententia claudit hanc quæstionem: Omnis sa-  
pientia exterior, verbo & re ipsa apud nos cœlesti sapientiae mini-  
stra appellatur sedula, & ei promittit, quo cunq; illa eat se famulam  
comituram, sic enim his versiculis eam expressit Caselius: qui-  
bus nos quoq; elaudimus:

πῶν γαρ η ἐκτὸς οὐ φίη μέθοτε καὶ ἔργω  
Ἄμην πωρ ἐξενί οὐ φίη θεοπεντα καλέστη  
Οτεηηή, τῆς εὐχεδ' οὐτη βῆ διωις ἐπεδα.

Θεῷ τῷ τεισυπτέτῳ δόξα καὶ χάρις.

**V**erum, quod eoto nunc exulat orbe, reductum  
in Thesibus monstras, docte Molane, tuis.

**E** vero Sophies in Sacris elicias usum:

Perge ita; sic Sophie præmia certa dabit,

Fautori & Amico suo

honodando ita grat.

**M. JOACHIMUS CRELLIUS, Rugianus.**

Πεσφώνησ.

**P**restantiſſimo Dn. R eſpondenti.

**V**irtus Inclyta Veritas ubiq;  
Perstat; pulvere nescit obtegivc  
Mirum! diſſona verba vera conſtant,  
Hæcrarifſima, Perpolite amice,  
Demonſtrare cupis? probè tueri  
Quæ jussit pia Veritas aperta.;  
Sanctam paginam & hæc ſubit Sophias  
Prudens Simplicitas. Tuere plenus  
Pulchra ſemine Veritatis. Eja!  
Immota hæc; pariter Tuiq; laus eſt.

πεσφιλῶς ἀ

**M. J O H. M Ü L L E R.**

oſſ (o) ſeo



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
rosdok/ppn72961056X/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72961056X/phys_0023)

**DFG**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn72961056X/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72961056X/phys_0024)

**DFG**

vorum, qui idem esse verum in Theologia & Philo-  
Quod in captivare docuerit articulos fidei sub jura  
manæ, idem q[ui] id esse pronunciat, atq[ue] Cœlum & te-  
culdere. Sed quæ mens fuerit B. Lutheri videati  
Mart: ad Illustriss Principem ac Dom: Dom: Hen-  
cem Bruns: & Lunæburg anno i. hujus seculi scri-  
verum ante laudatum; & ne cui de mente Erit  
deat, legat modò qua habet de lege naturæ super  
bunc caro factum est ut & Rom. 2. Ubi totum De-  
piò naturaliter noto consisterè annuit. Tantun  
te dicat.

XXVIII. Hæc igitur sententia (nisi forte in  
dissentio) admittenda non est. Veritatem poti-  
cem agnoscamus, cuius veriusq[ue] DEUS author est  
quando res measurat intellectum, ut est, & quan-  
tum, quæ cohærent, seu prædicatum subjecto ine-  
tas oritur. Prius si ita habeat, impossibile est falsi  
de rectè Meisn: Phil: sobria Mataph: quæst: 3. affer-  
rum est, id nullo loco & tempore in disciplina ulli  
sed ubiq[ue] & semper & apud omnes verum est, man-  
Si enim quod his est verum, alibi foret falsum, in  
mutabilitate, & sic D E U S sibi ipsi contrarius foret  
Meisnerus, qui insuper addit: Si in Philosophia  
re ipsa nunquam illud falsitatis argui potest à Th.  
immutabilitatem negare velimus.

XXIX. Probatur nostra sententia multis ali-  
rum breviter meminisse cogimur, quia hic the-  
tractatū aliquem procudimus. Dicimus igitur Di-  
tam Theologicæ, quam Philosophia, id est, Principi-  
minibus innatorum, & consecutionum inde eru-  
monstrosum aliquam Philosophia facit introd-  
ut verus autor, sibi contradicere, aut, quod ide  
potest, mendaciorum etiam autor esse nequit, a  
piè enim magis docemus, omne quod in nobis à  
conveniens, & verum atq[ue] bonum; neq[ue] malitia  
se esse potest, cum Diaboli vera sape locuti sint, M



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. \_\_\_\_\_